



## *QUARTA CLASSIS.*

DE MEDICAMENTIS TOPICIS.

### CAPUT PRIMUM.

*De Topicis in genere.*

### THEOREMATA.

**THEOR. I.** *Topicum est Medicamen-*  
*tum locale, quod singu-*  
*lari Corporis Parti medetur, actione seu*  
*vi quadam ei Parti propria & dicata.*

**THEOR. II.** *Topicum igitur omne*  
*debet habere talem actionem sive vim,*  
*quæ specificè emendet Solida & Liquida*  
*Partis illius cui dicatur.*

**THEOR. III.** *Hoc vero præstat, vel*  
*quia mole sua tendit ad eam Partem; vel*  
*quoniam eo itura sic præparat, ut*  
*quando ad hunc locum delata fue-*  
*runt, topicè agant. Hinc etiam duplex*  
*datur Topicum; scilicet, vel quod sua*  
*mole atque substantia Parti applica-*  
*tur, & ibi agit; vel quod præparat*  
*alii*

alia quæ ad Partem mittuntur. Sic,  
ex.gr. Cephalicum dicitur illud quod  
Stomacho receptum, & ad Caput de-  
latum, in idem operatur; vel quod  
Sanguinem, alias ineptum. ita præ-  
parat & disponit, ut Capiti profit ac  
medeatur.

*THEOR. IV.* Quicquid ad Par-  
tem aliquam vadit, vel eo tendit le-  
ge Circulationis universalis, vel per  
aliam vim quandam eo determina-  
tur.

*THEOR. IV.* Lege Circulationis uni-  
versalis nullum dari potest Topicum,  
nisi eidem insint conditiones aliquæ  
mechanicae, ut universali Motu magis  
in hunc, quam in alium locum eat.  
Sic, v. gr., si Globulus unus ex Mer-  
curio & alter ex Cera constans e Cor-  
de simul projicerentur, hisce Globulis  
tales insint conditiones, ut prior ver-  
sus superiora, posterior versus inferio-  
ra teratur: quippe Mercurii Globulus,  
cum sit gravissimus & solidissimus,  
motum suum in linea recta diu con-  
servabit, ideoque in Capit feretur:  
*Cereus* interim Globulus, cum sit le-  
vissimus, motum suum sursum & in  
linea recta cito amittet, ac versus in-  
feriora detrudetur. Hujus autem Af-  
ferti veritas evinci potest ex doctri-  
na Projectionis Liquidorum per Fistu-

T las:

434 P.III.CI.IV.C.I. De Top. in gen.  
las : patet ergo talia Medicamenta dari  
posse (a).

THEOR. VI. Determinatio ad locum  
obtinetur Medicamentis Attrahentibus;  
de quibus vero superius actum est.

THEOR. VII. Topica Specifica vo-  
cata , quæ operantur [ uti jam dictum  
est ] aut ipsi Parti applicata , aut eo-  
itura præparando , omnia agunt vel  
laxando , vel stimulando , vel contra-  
hendo , vel condensando , vel movendo ,  
vel attenuando , &c. juxta doctrinam  
haec tenus expositam de Medicamento-  
rum Operatione .

THEOR. VIII. Hinc igitur clare pa-  
tet , vim Topicorum in determinatione  
ad certum locum consistere .

THEOR. IX. Adeoque tota Topicorum  
doctrina consistit in descriptione  
Causarum determinantium .

THEOR. X. Topica omnia , ab Effe-  
ctu suo , in calida & frigida dividi so-  
lent .

( Hisee porro præmissis THEORE-  
MATIBUS de Topicis in genere , supe-  
rest ut de iisdem in specie jam aga-  
mus . )

CA-

(a) Confer ROBERTI BOYLEI Tract.  
de Medicina Hydrostatica .

C A P U T II.

*De Cephalicis.*

1. **C**ephalica dicuntur ea, quæ Cerebrum peculiariter spectant, non autem alias capitatis partes. Jam vero Cerebri Functiones duæ sunt, nimirum, ( $\alpha$ ) Spiritus animales seernere, ac ( $\beta$ ) eosdem postea distribuere: verum ut hæ Functiones recte procedant, requiritur Vasorum adaptatio, & Liquidorum debita solutio; hinc ergo quicquid Vasa adaptat, & Liquidam debite dissolvit, *Cephalicum* est.

2. Cephalica sunt autem duplia; nempe, 10. *Calida*, scilicet ea quæ tenui Oleo, Sale, Spirituque abundant: omnia igitur Attenuantia huc pertinent, imprimis vero quæ simul odore & sapore grata sunt; ut Abrotanum tenuifolium, Betonica, Chamædrys, Calamintha, Lavandula, Majorana, Melissa, Mentha, Origanum, Rosmarinus, Salvia, &c. Huc etiam spectant Insecta quædam, ut Aselli; item Spiritus Castorei; nec non Sal Volatile Oleosum, Olea Aromatica, &c. 20., *Frigida*, nimitum illa quæ

T 2 odo-

436 P.III.CI.IV.CAP.III.  
odore grato nares afficiunt absque calo-  
re; qualia sunt *Lilium vulgare*, *Lilium*  
*Convallium*, *Rosæ*, *Violæ*, &c.

---

### C A P U T III.

*De Ophthalmicis, Odontalgieis, Otalgicis,*  
*& Stomaticis.*

I. **O**culi Functio est videre; & quicquid hanc impedit dicitur *Oculi Morbus*: ut sunt *Palpebrarum* *Vitia* ex paralyse vel tumore oriunda (quæ vero non differunt a Morbis ejusdem nominis in aliis Partibus); *læsio* vel *inflammatio Cornea*, ejusdem phlyctænæ, hydatides, color non naturalis, opacitas, exulceratio, cicatrix, corpus ei interne accrescens; quæ quidem omnia non alia ratione consideranda sunt, quam si Partem aliam quandam infestarent. *Oculus* porro non videt, qui in suis Humoribus aliquid habet mali, v. gr. Suffusionem seu *Cataractam*, &c. vel propter Optici Nervi *Vitia*; vel quando Lymphatica, per Tunicam Retinam largissime (uti demonstravit (a) RIDLEYUS) dispersa, tument: in his autem

(a) In sua *Anatomia Cerebri*, Londini

*De Ophthalmaticis, &c.* 437  
tem ultimis casibus, cum nihil exter-  
ne possit applicari, præcipuum Re-  
medium est *Mercurius*, ad Salivatio-  
nem excitandam, ut par est, exhibi-  
tus; non tamen quod in Oculum spe-  
cifice agat, sed universali in totum  
Corpus operatione. *Oculus* etiam pec-  
cat quoque si Vascula Humorem A-  
queum resorbentia, eundem reducere  
non possint.

Ceterum, in his omnibus omitten-  
di sunt *Specificorum* tituli; sed inqui-  
rendum est, quid vitii in Solidis &  
Fluidis hæreat; atque medela ex In-  
dicationibus generalibus institui debet:  
hoc vero maxime videtur inculcan-  
dum; quoniam vel optimi Medici Spe-  
cificorum titulos nondum omittere pos-  
sunt, at semper existimant aliquid spe-  
cifice requiri; cum tamen revera nul-  
la sit proprie differentia, an hæreat  
Inflammatio in Oculo, an autem in  
Manu, &c.

Hinc igitur *Ophthalmica* dicenda sunt  
ea, quæ sanguineas, serosas seu lym-  
phaticas, & nervosas Inflammationes  
tollunt. In omnibus enim par ubique  
ratio datur.

T 3      2. Odon-

anglice ad ipso edita in 8. ann. 1695, de-  
inde vero in latinum sermonem ab alio trans-  
lata; & impressa Lugduni-Batavorum, anno  
1725. in 8.

2. *Odontalgica* sunt illa, quæ Inflammationes sanguineas arteriosas, Inflammationesque in Vasis Lymphaticis, vel in Nervis, auferunt, & hoc pacto Dentium Dolorem compescunt. Hinc etiam Purgantia laxantia, ut & Opiata, quandoque *Odontalgica* fiunt.

3. *Otalgica* sunt ea, quæ Dolores Auriū sedant. Hæc autem rursus includunt omnia illa quæ tollunt Inflammationes istas triplices supra memoratas.

4. *Stomatrica* vocantur illa, quæ Morbos Oris curant. Hi vero Morbi communes sunt Ori cum aliis Partibus; adeoque Medicamenta nihil specifici ad hosce Morbos habent.

## C A P U T I V. }

## De Arteriacis.

I. **A**rteria nomen Veteres dedere Laryngi, (seu proprie Canalibus illis durioribus qui Pulmonem ingrediuntur [a], quos Recentiores Asperam-Arteriam appellant;) & vocarunt Arteriaca illa Remedia, que Mor-

(a) Confer GALENUM, Libr. 6. de HIPPOCR. & PLAT. De cr. Cap. 9.

*Morbos Laryngis & Bronchiorum tollunt  
(a), in specie vero eorum Asperitatem:  
qualis in Tussi frequens est, oriturque  
a penuria vel defectu Liquidi quod ibi-  
dem fecernitur; unde fit ut Filamenta  
Nervosa nuda & arida remaneant.*

*2. Arteriaca igitur Medicamenta sunt  
ea quæ simile Liquidum suppeditant:  
ut 10. Oleosa omnia blanda, lente  
deglutita. 20. Omnia quæ, specie  
blandi Vaporis, in Pulmones cum Ae-  
re recipi possunt; ut Decocta Fari-  
nacea & Emollientia: huc etiam re-  
feruntur Emulsiones, Linctus, Syrupi,  
Succi inspissati; imprimis vero talia  
parata ex Amygdalis dulcibus, Semini-  
bus Papaveris albi, Seminibus quatuor  
Frigidis majoribus, & minoribus, Nu-  
ticibus Coquo, Juglandibus, Avellanis-  
que recentissimis, & Pistaciis; ex qui-  
bus Oleum, vel expressione, vel in  
Emulsionibus, educitur. 30. Arteriaco-  
rum omnium princeps est Opium; quod  
quidem, titillationis sensum auferen-  
do, Tussim sedat: hac autem sedata,  
Liquores in Arteria-Trachea & Bron-  
chiis secreti, ibidem commorantur,*

T 4 ea-

[a] Idem, Libr. 7. De Compos. Medicam.  
sec. Loc. Cap. 1. Vide sis etiam CASP. HOFF-  
MANN. Inflit. Med. Libr. 1. Cap. 13.  
Sect. 2.

eademque lubricantes , acrimoniam tollunt . *Arteriaca* proinde sunt omnia illa quæ *Tussim* compescunt .

## C A P U T V.

## De Thorasicis .

1. **P**ulmonem Function duplex est , scilicet *Respiratio* , & *Sanguinis propulsio* in *Ventriculum Cordis* finistrum . Quæcunque porro duashæcæ Functiones promovent , *Thoracica* solent appellari : sed revera vix ulla dantur *Thoracica Specifica* propriæ fit dicenda ; ea quippe omnia quæ hoc nomine donantur , simili plane ritu agunt ac alia Medicamenta , nimisrum , attenuando , infissando , stimulando , &c. Sic enim *Hylsopus* , *Majorana* , *Pulgium* , *Scordium* , *Sulphur* , &c. quæ *Thoracica* vocantur , attenuando solum operantur ; tum vero pro *Thoracicis* habenda sunt , quum *Sanguis Venosus* adeo viscidus est , ut per Pulmones vix fluere possit : ita quoque *Pulmonaria* optimum est Remedium *Pulmonicum* , quando *Sanguis* nimis acer & velox demulceri ac infissari debet .

2. Si

2. Si quicquam autem pro vero Thoracico sit habendum, Aer ipse est illud, quatenus scilicet *Vaporibus* quibusdam imprægnatus intra Pulmones recipitur; itaque, 10. Quando Lympha nimis tenuis & acris ex *Vasis* Lymphaticis nimium laxatis in Pulmones dilabitur, ut in *Coryza*, tum *Suffumigia* ex Mastiche, Thure, Benzoe, sunt optima Pulmonica. 20. Si adsit Exhalatio quædam alcalina, & calefacientis acrimoniae, ut in Peste, Variolis, ac Febribus malignis, tunc verum Pulmonicum est *Vapor Aceti Vini Rhenani*, vel *Pulveris Pyri*, per Arteriam Asperam exceptus. Ubi Spiritus Vitrioli, aut Aquæ Fortis effluvia Pulmones invadunt, ( unde sæpenero Peripneumonie graves, & Asthma fiant ) optimum Pulmonicum est *Urinæ putrefactæ Vapor* statim Ore receptus; a quo quidem Vapore ipsum acidum Pulmones infestans convertitur in *Sal Volatile innoxium*. 40. Si materia spissa & acris Pulmones occupet, eorumque meatus infarciat, optimum Pulmonicum est *Vapor Aquare calidæ* cum pauxillo Salis Tartari & *Urinæ* admisto, ut & cum Herbis laxantibus & stimulantibus. 50. Quando nimia Siccitas atque lenta Crassities inest, tunc temporis diluen-

T 5 dum

442 P.III.CI.IV.CAP.VI.  
dum est per Vaporem Aquæ tepidæ ;  
applicando nimirum ægri Naso Spon-  
giam eadem Aqua madefactam ; si-  
mul & ipsi præcipiendo , ut inspiret  
per Nasum , expiret vero per Os .

## C A P U T VI.

### De Cardiacis .

1. **C**ardiaca rum historia difficultis  
est admodum ; quoniam im-  
primis id quod uni Cardiacum est ,  
idem sit alteri Venenum . Jam vero  
**C**ardiacum vocamus illud quod Vires  
**C**orporis potius quam **C**ordis auget :  
hanc autem distinctionem facimus ,  
quia augeri possunt Vires Cordis in  
sanitatis detrimentum ; etenim in Fe-  
bre inflammatoria si Vis **C**ordis au-  
geatur , inde sequetur Corporis debi-  
litas , cui succedere poterit mors  
ipsa .

2. Per Vires autem intelligimus Po-  
tentias Corporeas , quæ Musculos &  
Liquida movent : hinc Vires sunt du-  
plices , nempe , *animales* & *natura-les* . Itaque Cardiacum est proprie quic-  
quid auget Vim animalem movendi Mus-  
culos , & Vim naturalem movendi Li-  
guida .

3. Vis

3. Vis animalis movendi Musculos omnino pendet a Spirituum Animalium in Cerebro debita secretione; atque haec a debito Liquidorum per Vasa motu. Ad hunc vero motum requiriatur, 10. Ut Cordis vis contraria Liquidum ita pellat, ut ejusdem adsit copia sufficiens in qualibet Corporis parte. 20. Ut Vasa apta sint ad Liquidum transmittendum. 30. Ut Liquidia sint meabilia, sive ad fluendum idonea.

4. Hinc etiam ad tres Classes sequentes Cardiaca reducimus.

I. Classis continet ea quae in *Spiritus Animales* agunt, 10. Materiam iis producendis aptam praebendo: haec autem materia proxime accedit ad Albumen Ovi (a); siquidem homines ii observantur esse robustissimi, quorum Serum ad Albumen Ovi proxime accedit: unde quidem patet, originem Spirituum Animalium esse ab Alimentis ita mutatis, ut proxime ad Albumen Ovi accedant, ita

T 6      vero

(a) Confer GUILIELMI HARVEI Exercitationes de Generatione Animalium, Exercitat. xii, xxxvii, & ix, ubi agitur de Albumine Ovi, nec non Exercit. lviii, ubi sermo est de Nutritione Pulli in Ovo; simulque MARCELLI MALPIGHII Tractatum de Ovo Incubato, ut & Tractat. de Generatione Pulli in Ovo.

vero per Circulationem attenuatis , ut ad Ignem concrecant . Porro materiam Spirituum præbent maximam Ci- bi Potusque leves ac nutrientes , sa- pore vel ipsis infantibus grato , simi- lique odore præstigi : ut sunt Lac , Jus- cula Animalium sanorum diluta , Vi- na imprimis odorata , Cerevisiae bene fermentatæ , Fructus Horæi maturi , grati & odorati ; sicut Uvæ maturæ , Ribesia , Cerasa , præcipue nigra , Mo- ra , Poma , Melones , Mala Persica , Aurantia , &c. 20. Spiritus in hunc il- lum-ve Musculum divagantes determi- nando in Cerebrum ac Cerebellum , istud vero faciunt omnia Antispasmo- dica , suffocationes hystericas & hy- pochondriaeas tollentia ; quæ quidem omnia operantur vel stimulando , vel attrahendo , vel laxando . 30. Spi- ritus quiescentes exfuscidando : hoc præ- stant cuncta sapore & odore grato donata ; ut Aromata quævis , præ- fertim Orientalia balsamica ; scilicet , Cinnamomum , Nux Moscata , & Macis , Caryophylli , Zedoaria , Ga- langa , &c. item Cortex Aurantio- rum , Citri Chinenses , gratus odor Pomorum Granatorum , Abrotanum , Melissa , Thymus , Lavandula , Ro- fæ , Jasminum , Lilium Convallium , Lilium album , Grana Kermes , Crocus , &c.

&c. Huc etiam pertinet Opium [a]; item hic spectant omnia Vina gene-  
rosa, Spiritus Vini, Sales Volatiles  
Alcalini Oleosi, aromatici, & omnes  
**Compositiones** ex his factæ; Olea  
cuncta aromatica Essentialia, Tinctu-  
ræ, Elæosacchara, Syrupi, & Con-  
fectiones hujusmodi.

II. Classis continet illa quæ in  
*Vasa* agunt, ea nimirum transmissio-  
ni *Liquidorum* apta reddendo: talia  
vero sunt 10. Quæ *Vasa* plus æquo  
stricti laxant; sicut *Balnea*, quæ qui-  
dem hoc sensu *Cardiaca* dici meren-  
tur. 20. Quæ *Vasa* nimis laxa *robo-*  
*rant*, iisque elasticam vim deperdi-  
tam restituunt; qualia sunt *Austeria*  
omnia: itaque *Cortex Peruvianus*,  
*Foma Cydonia*, *Calybs*, *Vinum au-*  
*sterum*, &c. munus *Cardiacorum* ob-  
eunt in iis quibus *Vasa* inertia & flac-  
cida sunt; iis autem qui strictis do-  
nantur *Vasis* lethalia evadunt: sic igit-  
ur, in *Morbis laxissimis Virginum*,  
*Chalybs* optime conductit; verum idem  
in

(a) Quatenus scilicet attenuando *Sanguinem*, modo recte administretur, *Spiritus animales* quiescentes *exfuscat*. De hac autem *Opii* attenuatrice virtute, conferri omni merentur Argumenta & Experimenta clarissimi FREIND, *Emmenolog. Cap. ult.*

446 P.III.CI.IV.CAP.VI.  
in Morbis Acutis , ubi Vasa sunt con-  
stricta , skirrhos insanabiles aut mor-  
tem arcessit .

III.Claſſis includit illa quæ in Liqui-  
da circulantia operantur , ſcilicet ea vel  
diluendo , vel incrassando , prout nimis  
crassa , nimium ve diluta ſunt : jam  
vero ſi Liquida diluenda ſint , vix  
melius datur Cardiacum , quam Aqua  
moderate calida .

---

## C A P U T VII.

### De Carminantibus.

1. **C**Arminare ſignificat demulcere  
Carminibus: Veteres enim exi-  
ſtimabant , Poetas , ope fuorum Car-  
minum , demulcere poſſe Dolores &  
Motus nimis vehementes ; hinc Poe-  
ſeos æque ac Medicinæ inventor habi-  
tus eſt APOLLO .

2. Carminans autem proprie eſt illud ,  
quod Flatus una cum Doloribus Intef-  
tiorum tollit . Quapropter explicatu-  
rum Medicamenti Carminantis inqui-  
rendum eſt , quomodo Dolor & Flatus  
in Intestinis ſimul occurrant , ac unde  
generentur .

3. Dolor in genere oritur a distractione  
ni-

nimia Fibræ sensibilis (a) : *Flatus* vero supponit hærere in Intestinis materiem liquidam *elastica*, calore rarefactam, & per vim aliquam ibi retentam, quæ tandem, hac vi superata, magno cum impetu erumpit.

4. Materies hæc liquida *elastica* est *Aer* ipse, qui quidem erumpit vel superne, vel inferne, atque ruit per Intestina nunc in hanc, nunc in illam partem ; unde fiunt *Borborygmi* : adeoque *Flatus* in Morbis dantur triples, nempe *Ructus*, *Crepitus*, & *Borborygmi*.

5. Hæc autem materies *elastica*, scilicet *Aer*, ingreditur in Corpus per *Oesophagum*, & per *Intestina* transit, unde, modo ibidem non coerceatur nec calore rarefiat, absque Doloris & *Flatum* productione per Anum exit ; si vero coerceatur, tunc horrenda creat symptomata : porro coercetur, vel ab externa vi comprimente, prout in Virginibus Abdomen sibi valde comprimentibus saepius observatur ; vel a Fibrarum contractione, ut in spasmis Fibrarum Intestinalium sive primarum Viarum contingit : ita Sphincter *Oesophagi* seu *Gulæ* saepè contrahitur spas-

(a) Super hac re vide plura in PARTE I. CAP. VI. de Solventibus, sive Dolores crientibus.

spasmodice , ut in Hystericis ; hinc Aer ibidem includitur , rarefactus vero Oesophagum vehementer extendit ; unde tunc Aspera-Arreria comprimitur , atque sic oritur suffocationis metus ; imo revera , pro momento , quandaque suffocantur Hystericæ Mulieres : & hinc facile satis explicatur , undenam in eis procedat Abdominis tumor . Hujuscemodi constrictio non nunquam accedit circa Ventriculi Officium utrumque , unde Stomachus admodum distenditur : tale quid etiam fit , si spasmus aliquis successive nunc hanc , nunc illam partem Oesophagi occupet ; indeque perfectissimus sensus globuli ad Gulam ascendens excitatur : idem quoque contingit , si Intestinalis Fistulæ pars aliquando constringatur . His autem omnibus Doloribus medetur *Flatus expulsio* .

6. *Carminativa* sunt igitur ea quæ spasmos ejusmodi tollunt ; unde fit ut *Carminantia* sint Medicamenta Laxantia & Aperientia : hinc igitur Aqua moderate calida , affatim epota , Olca similiter calida , Spiritus Volatiles Oleosi , Antispasmodica omnia , Motus externi , Balnea , & Fomenta huc pertinent ; omnium vero sumnum est Opium .

7. *Spas-*

7. Spasmodum autem dictorum in primis Viis causæ sunt, 10. Morbi nonnulli qui Liquidum Nervosum magis ad unam quam ad aliam partem determinant. 20. Venena, sive acria Ingesta; quæ quidem tormenta, flatus, & tumores violentissimos frequenter excitant, eosque saepe tantos, ut Intestina inde crepant: etenim si vis caustica sepe applicuerit alicui parti Intestinalis Fistulae, illa se contrahet & constringet; unde Liquidum elasticum includetur, calore rarefiet, atque Dolores excitabit, Spiritibus interim ingenti copia ad locum dolentem (ut in omni Dolore fieri solet) ruentibus; hinc orietur contractio violentior. Hoc igitur in casu Carminantia sunt ea quæ vel Venenum extinguunt, vel pressionem & fluxum Nervosi Liquidi versus affectam Partem imminuunt; ut Opium, omniaque Opia, quæ vero tunc temporis eadem fere ratione operantur ac Venæ-sectio in Inflammatione, impetum scilicet minuendo.

8. Carminantia porro calida agunt quatenus stimulant, motumque excitant per totum Intestinorum tractum; unde quidem contractio, & Aeris interceptio tolluntur.

## C A P U T VIII.

## De Anthelminthicis.

1. **V**ermes græce dicuntur <sup>Eλμινθίδες</sup>; hinc Anthelminthica vocantur ea Medicamenta, que Vermes seu Lumbricos, aut necant, aut expellunt.

2. Loci vero in quibus præcipue nidulantur ac repunt Vermes, sunt Ventriculus & Intestina omnia [raro tamen adsunt in Colo, nisi dum per hoc Intestinum transeunt]: hos autem locos Lumbricorum esse latebras probat titillatio quam ipsi excitant in Stomacho & Intestinis, eorumque per Vomitum & sedes rejectio [a].

3. An-

(a) Vermes sunt Animalcula diversi generis, in Humano Corpore, ex Ovulis Insectorum genita. Quum enim varii generis Muscae & Insecta, post fœcundum inter se coitum, Ovula sua spermatica, plus minusve copiose, in Edulia quam-plurima, v. gr., Herbas, Flores, Fructus, alias-ve res esculentas aut potulentas deponunt; & haec deinde res, diëtis fôrdibus spermatico-vermino-ssis inquinatae, sive ab Hominibus immediate comeduntur, sive a Brutis in Hominem escam cedentibus devorantur, tum si-

3. *Anthelminthica* porro Medicamen,  
ta ad binas Clases sequentes reduci pos-  
tunt.

I. Classis

mul hujusmodi Ovula in Hominum Cor-  
pora transmittuntur. Adeo quod Aerem  
ipsum, quem respiramus ac deglutimus, In-  
fectorum Ovulis ubertim etiam scatere,  
Physicorum recentiorum experimentis jam  
satis innotuerit; unde quidem fit, ut id ge-  
nus Ovula, tum simul cum Cibis & Potu-  
lentis, tum etiam cum Aerodeglutita, quin-  
imo quandoque forsitan cum aliis quæ-  
que *Vermibus*, qui in rebus continentur aa-  
tedictis, Corpori nostro ingesta, ibique  
blando Ventriculi, Intestinorum, aut alia-  
rum partium fotu & calore vivificata, in  
Reptilia Animalcula convertuntur (quem-  
adnodum extra Corpus hoc etiam evenit),  
idque longe magis & frequentius in tenellis  
Puerorum, quam robustioribus Adultorum  
stomachis & visceribus. Ejusmodi porro *Ver-  
mes* in diversis hinc Corporis Humani par-  
tibus gigni observantur: quippe deprehensi  
sunt profecto non tantum in Ventriculo,  
& Intestinis, sed quoque sat frequenter in  
Hepate, Renibus, Vesica, Pulmonibus, Pe-  
ricardio, Cerebro, Dentibus cavis, &c.  
Quin etiam, in imis Ossium Cavitatibus,  
Chrysalidum seu Nymphaeum exuvias de-  
texit celeberrimus RUY SCHIUS: (confer  
eius *Adversar. Anat. Dec. III.* pag. 18. &  
seq.) Idem porro clarissimus AUCTOR uo-  
tandum esse dicit alibi, (scil. in *Adversar.  
Anat. Dec. I.* pag. 18.) "quod in Humano  
Corpore generentur *Vermes* tam diversa for-

I. Classis continet ea quæ uti docet  
experientia, *Vermes necant*: qualia sunt,

10.Olea

„ ma discrepantes inter se , ita tamen dif-  
„ ferentes ab omnibus aliis in Natura re-  
„ rum unquam repertis , ut nusquam iis  
„ similem ulum conspicere detur extra  
„ Corpus Hominis , quorum interim non  
„ nulli in plurimarum exporriguntur ulna-  
„ rum longitudine . Hos igitur non ex  
„ Ovulis deglutitis originem ducere , sed po-  
„ tius in eodem Corpore natos , ex Ovis si-  
„ mul in nobis generatis cum reliquis Cor-  
„ poris nostri partibus , verisimile admo-  
„ dum esse putat . „ Istud vero quadrat ad  
fententiam HIPPOCRATIS , complurium  
que magni nominis Physeorum , ac impre-  
mis expertissimi Medici Parisiensis NICOL.  
ANDRY , qui de *Vermibus in Humana Cor-*  
*pore genitis* egregium Tractatum idiomate  
Gallico conscriptit . Jam vero quomodocun-  
que nascantur *Vermes* in nobis , omnium fre-  
quentissime deprehenduntur illi de quibus  
sermo hic loci habendus est , qui quidem in  
Intestinis sœpissimæ , & in Ventriculo non-  
nunquam latitant . Horum autem a Medicis  
tres vulgo distinguuntur species ; nimirum  
(1) *Lumbrici Teretes* , græce Ε'λμινθες  
Στρογγύλαι . (2) *Lati* , græce Πλατύται , ali-  
quando *Keipiat* , item *Taeniae* , i. e. , *Fasciae* ;  
unde & *Fasciati* quoque nuncupantur , ex  
eo quod fasciolam seu vittam tenuem exacte  
referant , exceptis Capite & Cauda , quæ in  
acutum definitur . (3) *Minuti* , græce Α'γων-  
θες , quod nomen iis unice tribuit GA-  
LENUS in *Exegesi* . Porro *Lumbrici Teretes*

20. Olea cuncta immediate Lumbricis applicata; quæ quidem, omnes eorum  
Tra-

omnium frequentissimi sunt ac notissimi, &  
in tenuibus potissimum Intestinis, copioso  
plerumque numero, generari solent, unde  
sæpe in Ventriculum ascendunt, & per Os  
quandoque, ac etiam per Nares, rejiciuntur,  
quanquam sæpius per vias inferiores,  
modo vivi, modo extinti, deturbentur:  
Infantibus autem admodum sunt familiares.  
Ceterum presentiam Animalculorum hujus-  
modi in Pueris haud ita facile semper co-  
gnoscere datur; quandoquidem Signa & Sym-  
ptomata, quæ ab eis producuntur, plerum-  
que sint cum aliis Morbis communia. Ve-  
rum tamen Morsificationes, Rosones, atque  
subita & intermittentia Tormina Ventris,  
præsertim jejuno Stomacho; aliqualis dein Ma-  
cies, Faciei Pallor, Cavitas circa Oculos,  
Inquietudines nocturna, & Insomnia gravia.  
Fricationes Narium frequentes, Factor ex Ore  
prodiens, Tussicula siccæ, quandoque cum  
Dyspnœa; subinde etiam Febricula Lenta non  
sine Siti, Horrores, Cephalalgiae, Cardial-  
gia; interdum Animi Deliquia, Tumor &  
Tensio Abdominis; Singultus, Nauseæ; Vo-  
mitus, frequens ad Ventrem Manuum admo-  
xio, Cessatio Torminum post Cibi ingestionem,  
Voracitas nimia, Dejectiones colore griso in-  
fectæ & argillæ dissolute similes, Urina de-  
nique cruda & turbida, fere instar Lædis,  
Signa solent esse horum Vermium latentium:  
quamvis tamet hæc omnia quandoque varia  
admodum existant; nullum est enim adeo  
peregrinum Symptoma, quod à Lumbricis  
interdum non oriatur, uti quidem testantur

454 P.III.CL.IV.CAP.VIII.  
Tracheas obstruendo, brevi eosdem in-  
terimunt: hinc ergo bibatur Oleum,  
vel

Practicorum Observata. Jam vero si *Prognosin* spe&temus, *Vermes* aliquando diutis-  
sime in Humano Corpore posunt hospitari,  
sine notabili noxa aut molestia: verum ta-  
men saepe contingit, ut inde saevissima pro-  
ducantur Symptoma; sicuti *Fames Cani-  
na*, *Sopor*, *Delirium*, *Febres Continuae*,  
*Lente*, atque *Hectice*, imo non raro illæ  
quas *Malignas* appellant, una cum *Moti-  
bus Convulsivis & Epilepticis lethibus*; vel  
*Intestina* aut *Stomachus* perturbantur à  
*Lumbricis*, indeque mors subsequitur: ver-  
bo dixerim, gravissima quæque Symptoma  
hinc oriri possunt. *Vermes Lati* omnium ra-  
rissime occurunt; si quando vero, tunc tem-  
poris hoc Signum est peculiare cum aliis  
communibus, quod simul cum *Fæcibus Al-  
vinis* prodeant corpuscula *Cucurbitæ Semi-  
nibus* analogæ ( quæ quidem *Lumbricorum  
Latorum* videntur Excrements esse ): ho-  
rum autem longitudo ad plures ulnas saepius  
extenditur; nec etiam numerosi in *Intesti-  
nis* adsunt, sed unicus ut plurimum [ qui  
vero propterea *Sollum* audit ], vel bini  
quandoque ibidem hospitantur. Ceterum,  
si quis de hisce *Vermibus* plura voluerit, a-  
deat **AUTHORES** qui de hoc expresse ege-  
runt argumento, præfertimque **DAN. LE  
CLERC**, *Hisror. Laterum Lumbricorum Ul-  
timo* breves illi ac minuti *Vermiculi*, quos  
*Ascarides* vocant, numerosissimi & acer-  
vatim in *Intestino Recto* gigni & congre-  
gari solent: atque, magnitudine & crassi-  
tie, imo tota fere figura sua, *acubus* similes

vel specie Clysmatis injiciatur ; ita  
quippe ( clarissimus AUCTOR noster )  
homi-

existunt : hi porro simul cum Excrementis vi-  
vi ex Ano protruduntur ; Infantibus vero  
Puerisque valde sunt familiares , & Adultis  
etiam aliquando : Signum autem pathogno-  
monicum infestantium *Ascaridum* , est *Prū-  
ritus* in Podice vix tolerabilis , cum frequenti  
molestoque Tenesmo seu desidendi cupiditate ;  
qui & interdum ita vehementer Ægros tor-  
quent isti pusilli Carnifexes , ut *Syncopen* in-  
ducant ; etiamsi tamen gravia Symptomata ,  
ut alii , vixdum creare soleant : Ceterum de  
methodo hujuscemodi *Vernes* enecandi & ex-  
pellendi , conferendus est imprimis FUL-  
LER , in *Phæmacop. Extempor. Reformi.* ti-  
tulo de Enem. *Aniar.* pag. m. 101. 102 103.  
Hæc vero de *Lumbricis* haec tenus dicta suffi-  
cient . Qui plura cupiet , consulat [ præter  
NICOL. ANDRY , & DAN. LE CLERC ,  
in Tractat. supra laudatis ] AUCTORES va-  
rios , qui quidem de hoc arguento egerunt  
quam-plurimi : scilicet , (α) Historiæ Naturæ  
Scriptores ; ut imprimis ULYSS. ALDRO-  
VANDUS , [ Libr. VI. de *Insectis* , Cap. 2. ]  
FRANC. REDI , [ in *Observat. de Animal-  
culis vivis quæ in Corporibus vivorum Animæ-  
lium reperiuntur.* ] &c. tum [ β ] Historiarum  
Medicarum & Observatioñum Collectores ;  
præsertimque SCHENCKIUS , BARTOLL-  
NUS , STALP. VAN DER VVIEL , PAUL-  
LINUS , [ in *Disquisit. de Morte Verminea* ,  
licet hic tamen aliena & inutilia multa , pro  
more suo , consarcinet ] , HILDANUS , FO-  
RESTUS , TULPIUS , &c. quibus addenda

hominem quemdam *Ascaridibus* laborantem, omnibus aliis Anthelminthicis  
 frustra tentatis, solo Clysmate ex Oleo diu retento, curavit, expurgata  
 prius ieniter Alvo; quod quidem semper fieri debet. 2. *Melitta* omnia;  
 quae vero agunt eadem ratione: sic  
 igitur, post assumptum lene Purgans,  
 jejuno Stomacho, ut nihil oblitet.)  
*Mel* epotum optimum est Anthelmin-  
 thicum, ac imprimis pro Infantibus.  
 30. Quæ, vulnerando, contundendo,  
 pungendo, *Vermes* occidunt: ut Os-  
 ficula Piscium deglutita, Cornu Cer-  
 vinum, Limatura Martis, & similia  
*spiculorum* instar agentia; sed hæc ra-  
 ro Intestina tenera relinquunt inta-  
 eta. 40. *Venena* Infectis hisce dicata:  
 sicut Mercurius ita præparatus, ut per  
 Intestina solummodo transeat, non  
 autem in Vasa Læcea penetret; talis  
 præparatio est Æthiops Mineralis pul-  
 verisatus, & cum leni Purgante da-  
 tus: item Vitriola Metallorum, ut  
 Martis, Veneris, Lunæ, si, Pilula-  
 rum specie, addito leni Purgante,  
 suman-

sunt *Acta Regia Parisina*, & *Londinenſia*, *Ephemerides Naturæ Curiosorum*, &c. [γ] Denique  
 de Morbis qui a Lumbricis oriuntur cognosendi & curandis, consulantur optimi quique  
 Practici.

fumantur , ac per Alvum determinen-  
tur .

II. Classis complectitur ea quæ *Lum-  
bricos expellunt* : qualia sunt omnia  
*Purgantia & Vomitoria* , quæcunque  
fuerint sine ullo discrimine , dummo-  
do vacuo Ventriculo fumantur . *Ama-  
ra* autem illa quæ tanquam *Anhel-  
minthica* commendari solent , & hoc  
insigniuntur nomine , casu tantummo-  
do profundunt ; quando scilicet Intestinales  
Fibræ debiliores sunt , quam ut *Ver-  
mum* nidos expellant ; *Lumbricos* ve-  
ro neutiquam occidunt hæc *Amara* .  
Notandum est porro , non parum eos  
hallucinari qui dicunt , neminem a  
*Vermibus* liberari posse , nisi per Anum  
expellantur eo tempore quo necantur ,  
cum tamen , si modo necati sint , brevi  
putrefcant , atque specie muci , exeat ,  
adeo teneræ texturæ sunt .

## CAPUT IX.

## De Anodynisi.

1. **A** Nodynæ sunt ea Medicamenta , quæ dolorem in genere tollunt . Hæc autem sub se complectuntur , I. Paregorica ; quæ Dolorem auferunt demulcendo . 2. Hypnotica ; quæ Dolorem tollunt , Somnum conciliando . 3. Narcotica ; quæ Dolorem adimunt , Stuporem inducendo . 4. Nepenthes ; quod proprie significat Medicamentum Dolorem auferens . (a)

Cum

(a) Hoc igitur sensu Nepenthes Synonymon est Anodynī ; ac proinde non videtur debere Classem peculiarem constituerē . Porro quid proprie fuerit Nepenthes illud de quo quidem tanta prædicat HOMERUS , Lib. IV. Odys. pag. m. 47. non parum profecto disceptatum est inter AUTHORES ; quorum vero sententias afferre neutquam est hujus loci : sufficiat impræsentiarum pauca duntaxat hoc super argumento differere . Vox ista Nn-  
nevde's componitur ex particula privativa vn  
& πένθος luctus ; quoniam scilicet hoc Medicamentum tristitiam discutit , ac hilaritatem inducit ; quippe quod (HOMERO teste) Vino Convivarum MENELAI , ad hunc producendū effectū , immixtum fuerit ab HE-  
LENA ;

Cum autem *Anodynum* sit nomen  
generale, quatuor antedictas Medicas  
V 2 men-

LENA; quæ vero hujuscemodi Pharmacum a  
POLYDAMNA Ægyptia, THONIS Conju-  
ge, dono acceperat: hac autem virtute præ-  
ditum esse *Nepenthes* asserit POETA, *loco ci-  
tato*, ut quicunque deglutiatur illud, malo-  
rum penitus obliviscatur, neque tota illa die  
flere possit, etiamque Pater & Mater ei mortui  
fuerint, vel coram ipso Filius trucidaretur  
aut Frater. Unde quidem conjicere licet,  
quod per istud adeo decantatum HOMERI-  
CUM *Nepenthes* intelligendum sit *Opiun*  
ipsum, vel ex eo Compositio quædam; quum  
& hoc imprimis nascatur in Ægypto (ubi  
dono datum fuerat HELENÆ); ac etiam fa-  
cultate polleat Homines ipsi assuefactos exhi-  
ilarandi, & ex eorum animo metum discutien-  
di, prout exemplo TURCARUM, aliorum-  
que Populorum Orientis abunde patet. Hinc  
Porro videntur CHYMICI vocem istam trans-  
tulisse ad Compositionem quandam Opiatam,  
quæ dicitur *Nepenthes Aureum ANGELI SA-  
LÆ*, & ab hoc AUCTORE describitur in  
*Opitolog. pag. m. 610.*: quid & ideo Laudanum  
*Opiatum vulgare*, *Nepenthes* audire solet in  
aliquot Medicorum Præscriptis. Ceterum, si  
quis de hac voce ipsiusque significationib[us]  
plura voluerit, consulat imprimis *Dissertatio-*  
*nem integrā a CONRAD. BARCHUSEN*  
habitam super hoc argumento, quam vero  
*Historie Medicinæ annexuit*; itemque *CASP.*  
*a REIES, Elys. Jucund. Questionum Camp.*

Quæst.

460 PARS HI. CL. IV. CAP. IX.  
mentorum Dolorem tollentium *species*  
complectens, hinc omnium primo prae-  
mit-

Quæst. II. N. 12. & Quæst. LXXXVIII. N. 13.,  
nec non LANG. Epist. Medic. Lib. I. Epist.  
56. ac Lib. III. Epist. 6., ut & Lexicographos,  
aliosque passim. Porro de Nepenthe Indorum  
hodierno vide sis ENGELBER. KÆMPFER,  
*Annanitat. Exotic.* pag. 632. Hoc vero Indi-  
cum Nepenthes jam antea descripserunt GARCIA  
IAS AB HORTO, *Histor. Aromat.* &c.  
Lib. II. Cap. 25. & CHRISTOPHORUS A-  
COSTA, *ibid.* Lib. III. Cap. 53.; qui dicunt,  
Pharmacum istud parari potissimum ex specie  
quadam Cannabis Indice, quæ (referente  
ACOSTA) dicitur ab Arabibus *Axīs*, & a  
Turcis *Asarath*, a Persis autem, ut & ab In-  
colis Regionis Decan, plurimarumque aliarum  
Regionum, *Bangue* vocitatur. Planta vero  
hæc videtur CLUSIO magnam habere af-  
finitatem cum Turcarum Constantinopoli de-  
gentium *Maslac*; de quo conferatur WE-  
DELIUS, *Opiolog.* Lib. II. f. 4. P. I. pag. 168.  
,, Indi (inquit ACOSTA) foliis & feminæ  
,, vescuntur, cum ut validiores in re Vene-  
,, rea fiant, tum ad excitandam Cibi appeten-  
,, tiam. Fit ex hoc *Bangue Compositio* quæ-  
,, dam, vulgaris admodum usus in iis Regio-  
,, nibus ad varios effectus: Etenim Magnates  
,, & Militiae Præfecti, ut, laborum obliiti, se-  
,, curius & liberius dormiant, feminis & fo-  
,, liorum, in pulverem redætorum, quan-  
,, tum videtur, sumunt, illique addunt *Are-*  
,, *eam* sive *Avellanam* Indicam viridem, &  
,, *Opii*

mittenda sunt quædam de Dolore in genere THEOREMATA.

THEOR. I. Corporis nostri fluidæ partes non dolent, sed solidæ tantum; hæ vero quatenus ex Nervis conflantur, & non aliter: Nervi porro alii sunt aperti cavique, alii consolidati; prioris autem duntaxat generis Nervi Doloribus afficiuntur.

THEOR. II. In omni Nervo adhuc vitali, si consideretur ejus ultimum Componens, occurrit solummodo Membrana tenuissima, simul & Liquidum in ea detentum coercitumque: omnis autem Membrana ultima Nervosa cuiuscunque Nervi, constat ex Fibris solidis & non cavis; quæ vero componuntur ex partibus incredibiliter exiguis ac minimis, ad ignem aut aquam vix mutabilibus: (ut istud in PROLEGOMENIS, CAP. IV., & CAP. V. §. I. explicatum est.) Porro Liquidum

V 3

„ Opis nonnihil, pro arbitrio, ac omnia hæc Saccharo excepta devorant: Si vero, in Smono, varias rerum species sibi observari cipiunt, his adjiciunt seletissimam Gamphoram, Caryophyllos, Nucem Moschatam, & Maccim: Si autem hilares esse volunt & faceti, ac præsertim in Venerem procliviores, tunc, Ambragrisea & Moscho additis, omnia Sacchara excipiunt, & Electuarium faciunt.

dum ibidem contentum , est omnium tenuissimum , videlicet , ( si ulla quidem comparatio possit institui ) aquæ ex Liquido Albuminis Ovi productæ quodammodo simile .

**THEOR. III.** Omnis igitur Dolor est affectio quædam vel solidæ Membranæ , vel oriunda ex Fluido contento , vel ex utroque .

**THEOR. IV.** Causæ omnes quæ Dolorem producunt , utut in Liquida agant , eaque mutant , nunquam Dolorem creare poterunt , nisi pro effectu talem habeant Liquidorum mutationem , quæ Solida afficiat .

**THEOR. V.** Omnis ergo Dolor pendet a mutatione quadam contactuum in Solido ultimi Nervi , quatenus adhuc Liquidum continet .

**THEOR. VI.** Dolor omnis fit ab actione quæ in ultima Fibra talem excitat motum , qui , si continuetur , vel augeatur , necessario destruet istius Fibræ continuatatem ; idque docent omnes quorumcunque Dolorum historiæ : hinc & omnis Dolor ingens , diu durans , habet , pro fine suo , rupturam Vasorum destructionemque Partis ; sic ab Inflammatione suppurationis & gangrena , & a Dolore Nervo insensibilitas tandem oriuntur :

*motus*

motu itaque illo sublato , tollitur quoque Dolor.

**THEOR. VII.** Omnis **Causa Doloris**, quatenus agit in *unam Fibram* , agit duntaxat vel trahendo , vel premendo , vel vulnerando ; si vero in *plures Tubum* constituentes agat , tunc temporis considerari potest ut inflans & distendens huncce *Tubum* : quicquid igitur Dolorem creat , id operatur vel trahendo , vel premendo , vel distendendo , vel vulnerando .

**THEOR. VIII.** *Tractio* omnis , in **Corpo sanissimo** , Dolorem excitat *elongando* *Fibras* ; uti quidem docent **Car-**  
**nifacum torturæ**.

**THEOR. IX.** Magnam a contentis Liquidis Vasorum distentionem , Fibras *elongando* , Dolorem inducere docet *Hi-*  
*storia Medica* ; hoc enim patet ex Tu-  
moribus dolentibus , ubi , sublato Tu-  
more , cessat Dolor : notandum est ve-  
ro quod , licet Vas distentum idem re-  
maneat quoad longitudinem , attamen  
Fibræ laterum ab ista distentione *elon-*  
*gari* possint .

**THEOR. X.** *Omnia Vulnerantia* , proprie sic dicta , operantur vel pun-  
gendo , vel terebrando , vel secando : quamdiu autem agunt , Dolorem ex-  
citant *elongando* *Fibras* ; simul ac ve-

ro effectum produxere , cessat Dolor :  
hinc etiam Nervus abscissus nequaquam  
dolet .

**THEOR. XI.** Ignem , & omnia Acria invisibilia , simili plane rito , ac  
enumeratas Causas , agere , in Acrium  
historia probatum fuit .

**THEOR. XII.** Dolor in aliqua par-  
te excitatus tollitur , 1. Nervo destru-  
eto in parte ubi Dolor est : destruitur  
vero Nervus , quando Liquidum per  
eum amplius fluere nequit . 2. Motus  
Dolorem excitantis intercepta communi-  
catione cum Sensorio communi . 3. Ce-  
rebro inepto reddere ad communicatio-  
nem Causæ dolorificæ recipiendam ; uti  
patet ex Apoplecticis , & omnibus iis  
quibus Cerebrum , aliqua de causa ,  
compressum est .

**THEOR. XIII.** Fibrillæ unius ulti-  
mæ Dolor *infimus* & *mitissimus* oritur  
a Motu , aliquantulum majori solito ,  
Fibrillæ superinducto ; cuius finis est  
Perceptio *gratissima* : quæ vero , qua-  
tenus a miti vellicatione fit , dicitur  
*Titillatio* ; quatenus autem a rosio-  
ne Liquidi contenti , vocatur *Pruri-  
tus* . Sic odor *gratissimus* & *Sapor* , si-  
diu ac vehementer percipientur , Do-  
lorem excitant : idem etiam in Sonis  
accidit .

**THEOR.**

**THEOR. XIV.** Fibrillæ unius ultime Dolor *summus* & *vehementissimus* ori- tur a diu continuata ejus *elongatione*, quam proxima dissolutioni, sed tamen absque dissolutione.

**THEOR. XV.** Augmentum vero Doloris *summum* oritur a numero Fibrilla- rum simul affectaruni; etenim duæ Fib- brillæ sic affectæ non tantum excitant Dolorem, ac si plures simul affectæ essent.

2. Ex dictis igitur manifestum est, quod omnis Dolor oriatur a *distractio-* ne sive nimia Fibrarum *elongatione*: quæ quidem, si ab externa causa pro- cedat, tolli potest ablatione istius cau- sæ; ( si vero ab interna Causa fiat, examinandum est prius qualis hæc sit, ut Dolorem tollere valeamus. ) Jam vero nimiae *distractio*nis cau- sæ inter- næ ad 5. reducuntur; ac proinde to- tidem sunt Classes Medicamentorum *Anodynorum* ejusmodi causas tollen- tiuum.

3. Hæc porro cau- sæ sunt, 1. Nervi alicujus *semi-laceratio*: etenim pars illa Nervi *semi-lacerati*, quæ manet illæsa, multo majorem impetum seu contractionem sustinet, quam in sta- tu fano Nervi; unde sequitur ejus- dem *distractio* seu *elongatio*. Suppona-

V 5 mus,

mus, ex. gr., A B  
Nervum esse con-  
stantem ex tribus

A  B  
C

Fibris, quæ, dum integræ & illæfæ  
sunt, sustinent simul omnem illam  
vim qua Nervos conatur se contra-  
here, ac versus puncta A B, quibus  
affigitur, resilire: Si jam una ex istis  
Fibris rumpatur ad C, reliquæ due  
totam vim sustinebunt, quæ quidem  
a tribus antea sustenta fuerat: hinc  
vero Distractionem & Dolorem necef-  
sario patientur. 2. Inflatio nimia a  
Spasmo. 3. Distentio nimia ab aliquo  
Obstruente, & Vi Vitali urgente. 4.  
Distentio nimia ab Aceri impacto, &  
Vi Vitali urgente. 5. Distractio Ner-  
vorum ab Elatere proprio supra corpus  
aliquid durum & impactum, ut supra  
Calculum in Uretere.

4. Causam primam auferunt, 1.  
Integra discissio, vel uscio Nervi semi-  
lacerati: hoc igitur sensu, Cultelli,  
Ignis, & Caustica potentialia sunt  
magna Anodyna. 2. Partium lacera-  
tarum ad se mutuo adductio: nam in  
tummis Doloribus haec saepenumero  
mire juvat, uti docet experientia.  
Musculus enim vulneratus dolet quam-  
diu hiat; partibus vero ad se invi-  
cem adductis, cessat Dolor: huc er-

go pertinent Suctio[n]es , Ligaturæ ,  
 Suturæ . 3. Nervi totius emollitio &  
 laxatio ; quæ quidem efficit , ut par-  
 tes illæsæ Nervi , absque Dolore , in  
 longum protendantur : huc itaque spe-  
 ctant omnia Laxantia & Emollientia ;  
 qualia sunt , ( 1 ) Aqua calida . ( 2 )  
 Posca levis , scilicet ex una Aceti &  
 tribus Aquæ partibus . ( 3 ) Decocta  
 Emollientia farinacea , suboleosa , ea-  
 que , specie Emplastri , Fomenti , Va-  
 poris , Cataplasmati , aut Balnei , ap-  
 plicata . ( 4 ) Haustus largus ex simi-  
 libus paratus . ( 5 ) Balsamica omnia  
 lenissima ; ut Balsamum Peruvianum ,  
 Gummi Elemi , Terebinthina , &c. ,  
 Ovi Vitello soluta , & applicata ut  
 ad locum affectum penetrant . [ 6 ]  
 Animalium recens occisorum partes  
 calidæ applicatæ ; ita quippe summum  
 habetur *Anodynum* , si , v. gr. , Bra-  
 chium læsum indatur in Abdomen  
 Animalis recenter mactati . 4. Deni-  
 que prima Causa tollitur , si partes  
 Vulneri vicinæ ita mutentur ab ali-  
 qua re , ut durescant , atque resiliant ,  
 & hoc pacto minutas partes semi-la-  
 ceratas perfecte solvant : talem vero  
 partibus Vulneri vicinis mutationem  
 inducunt Oleum Terebinthinae & Al-  
 cohol Vini calide affusa , & similia ;

V 6 quæ

quæ quidem inter agendum , maximum semper Dolorem pariant . Porro si alicubi , profunde in Corpore , oratur Dolor a *semi-laceratione* , nulla spes est curæ , nisi , aucto Dolore , tandem integre solvantur Nervi læsi : sic enim , si talis Dolor in Ligamentis hæreat , auferri nequit , nisi destruatur Nervus , quo peracto , statim cessat Dolor ; hinc in Podagra *tophacea* nullus fere Dolor adest .

5. Causam secundam auferunt ea quæ *Spasmi* causam tollunt : *Spasmi* vero causa , vel in Cerebro , vel in Nervo , vel in Villo Musculofo , hæret ; eaque semper est vel *Acre irritans* , vel *Spirituum Animalium inegalitatem* determinatio : summa proinde in hisce casibus Remedia sunt , 1. Potus attenuantes & diluentes , huic Acri quod *irritat* oppositi , copiose quidem assumpti . 2. Motus Liquidorum augmentum .

6. Tertiam Caufam tollunt , 1. Ea quæ *Acre impactum* corrigunt , mutando scilicet figuram ejus acutam in obtusam : istud vero fit , [α] Acre cum aliis particulis componendo ; [β] ejus acumen , vel Coëstione , vel Suppuratione , frangendo ; [γ] idem per Demulcentia involvendo . 2. Illa quæ *Acre impactum* educunt : qualia sunt , (1) Quæ vias

vias laxant ; hinc dixit Hippocrates , omne Dolens ab Acri laxandum esse .

[ 2 ] Quæ diluunt Liquida . [ 3 ] Quæ determinant foras : Confer PART. III. CL. III. CAP. VIII. de Attrahentibus .

[ 4 ] Quæ Acre impactum ad quietem deducunt : id autem 4. modis ad quietem componitur ; scilicet , [ a ] Liquidorum circulantium , & Solidorum contractilium impetum minuendo ; nisi enim a vi contractili Solidorum , & a vi projectili Fluidorum comprimeretur Acre infixum , Dolorem utique non produceret : Contractio autem in Solidis minuitur laxando : Impetus vero minuitur in Fluidis , proprius ad statum mortis ducendo , sive ad mortem appropinquando ; hinc etiam omnis Dolor paulo ante mortem desinit : Vide PART. II. CAP. IX. de Sistentibus .

( β ) Impetum aliorum determinando : Confer CAP. de Attrahentibus . [ γ ] Animi Deliquia excitando . [ δ ] Causas externas Acre per se iners , actione sua , excitantes [ quales sunt calor & motus Partis ] tollendo .

7. Quartam Causam auferunt ea quæ Vasa laxant , infarctum resolvunt , & vim projectilem Liquidorum imminuunt : hoc itaque pertinent Venæ - sectio , Evacuatio quæcunque magna , nec non Remedia Incidentia , Attenuantia , Resol-

470 PARS III. CL. IV. CAP. IX.  
solventia , & Diluentia ; uti Balnea,  
Fotus , &c.

8. Quintam Causam tollunt , 1. Omnia illa quæ primam auferunt . 2. Quæ , leniter lubricando , resolvendo , & stimulando , impactum movent , & propellunt . 3. Quæ istud impactum determinant ad locum ubi minime nocere possit : Vide CAP. de Attrabentibus .

9. Porro si Dolor sit *ingens* , ejus vero causam tollere non valeamus , tum Dolor sui ipsius medela ut , scilicet Hominem destruendo : verum tamen quædam extant quæ , licet Doloris causam non auferant , nihilominus ejus sensum imminuunt ; talia vero sunt vero *Hypnotica* sive *Soporifera*.

10. *Hypnotica* autem omnia ad duas Classes sequentes reduci possunt .

I. Classis continet quæcunque *Somnum* conciliant , Somni impedimenta tollendo : hæc vero impedimenta plerumque sunt Objecta externa , Dolores , Calores , Sudores , Corporis Morbi varii , Animique Pathemata ; quibus sublati , sponte sua sequitur *Somnus* : hac itaque ratione omnia fere Medicamenta , ut Diluentia , Resolventia , Incrassantia , Humerantia , Exsiccantia , Calefacientia , Refrigerantia , Acida , Alcalina , ceteraque in-

innumera , & plane contraria , fiunt *Hypnotica* ; prout hoc illud ve Symptoma , quo impeditur *Somnus* , vel auferunt , vel mitigan : sic enim Absorbentia Terrestria in Infantibus ; propter Acidum , [ quod in eorum Ventriculo ac Intestinis continetur ] doloribus inter vigilandum affectis , saepe numero Somnum producunt : ita quoque Rosa , Salix , Lactuca , Taraxacum , Endivia , Acetosa , Melones , Pekones , Cucumeres , &c. extrinsecus adhibita , in Morbis calidis *Somnifera* sunt .

II. Classis includit ea quæ *Somnum* producunt , supprimendo causas naturales *vigiliarum* , & imprimis impediendo fluxum Liquidi per Nervos : hæc autem sunt triplicia ; scilicet , 1. *Mitia* & tuta . 2. *Fortia* & periculo-*sa* . 3. *Mala* & fere lethalia . *Somnifera Mitia* sunt illa quæ *Somnum* naturalem , levem , & facile solvendum conciliant : talia sunt *Crocus* , *Papaveris Rhœados* omnes partes , uti se-*men* , *folia* , *capita* , *succus* ; itemque *Papaver album* , *Cynoglossum* in omni-*bus suis partibus* , *Solanum Offici-*nale** , ac *Somniferum* illud blandum *Herba Paris dictum* , &c. *Fortia* sunt illa quæ *Somnum* inducunt coactum , profundum , & vix exutiendum , una cum

cum summo stupore ; ( hæc vero , ut & sequentia , proprie *Narcotica* dicuntur : ) huc autem pertinent Opium , Hyoscyami semen , &c. *Mala* sunt ea quæ producunt Somnum profundissimum , morte plerumque terminandum ; si vero executi contingat , sequitur omnium Animi Facultatum depravatio : huc porro spectant Hyoscyami utriusque folia , flores , fructus , radices , ac succus ; nec non Stramonii semen , quod ad 3 fl. sumptum , insaniam creat , & ad 3 j. est lethale [a] ; item Lolii farina ,

(a) *Stramonii fructu spinoso* , sive *Daturæ* . Semen in pulverem redactum , & , ad drach. fls. in Potu exhibitum , mentem turbat ac alienat , insaniam quandam viginti quatuor horas durantem inducens . Miser qui Semen istud hausit , diu veluti mente alienatus remanet , aut ridens , aut ejulans , aut dormiens , plerumque etiam cum altero colloquens , & ei respondens ; ut interdum quoque sana mente ipsum credas , tametsi mentis non sit compas , neque eum agnoscat cum quo sermones confert , & habiti colloquii plane sit immemor postquam ad re rediit . Hinc etiam (ut refert GARC. AB HORTO ) Flos aut Semen *Daturæ* injicitur a Furibus in Cibos eorum quos deprædari volunt : quum enim mente alienentur , per aliquod tempus , quicunque *Pharmacum* hoc assumpsent , hi sane , magna cum libertate , haunt quicquid libitum est deprædati .

rina , Oxyſchœni ſemen [a] , Solanum lethale Melanoceraſos aut Belladona di-  
etum , Solani Pomiferi fructu rotundo  
**C.** B. ſeu Lycopersici Gal. & Anguill.  
Fructus , ſive Aurea Mala [b] , Nico-  
tianæ

dari . Narrat quoque CHR. ACOSTA ; Fœ-  
minas quasdam Indicas hujuscemodi Toxicum  
ita præparare noviffe , ut mentem turbare  
poſſint ad certum horarum ſpatium , plus mi-  
nuſ-ve , prout iſis libet : quin etiam ( ut  
afferunt Itinerariorum Scriptores nonnulli )  
Mulieres adulteræ hoc dolo paſſim utuntur  
in Indiis , ut Maritos fallant . Plura vide apud  
GARC. AB HORTO , Lib. II. Cap. 24. &  
CHR. ACOST. pag. m. 301. & seq. vel apud  
RAIUM , Hift. Plant. pag. 749. Vide ſis de-  
nique KÆMPFER , de quodam , apud Indos ,  
Electuario Magico (uti vocat) ex ſemine Da-  
ture , Opio , pollino Cannadis Persicæ , aliis-  
que rebus confeſto ; de quo quidem ſe mira  
admodum experientia didiciffe narrat , Amœ-  
nit. Exotic. Falc. III. Observat. XV. Sect. 3.  
pag. 650. Porro ſimilis Electuarii Compositio-  
nen ( at ſine Dature ſemine ) refert CHR.  
ACOSTA , quam vide ſuperius in hoc CAP.  
pag. 452. & 461.

(a) Oxyſchœnos eſt Juncus acutus capitulis  
Sorgbi C.B. P. De viribus autem Seminis ejus  
cooper DIOSCORID. & MATTHIOL. Lib. IV.  
pag. 732. Edit. BAUH.

(b) Verum tamen haecce Poma , Aceto ,  
Sale & Pipere condita , hodie comedunt Itali  
ac Hispani : quin etiam Mandragore atque  
Melon.

474 P.III.CI.IV.C.IX. De Anod.  
tianæ Fumus nimia copia sumptus in  
non assuetis ; Vinum etiam nimis co-  
piosum , Spiritus ex eo producti , &c. [a]

Melongenæ Fructus , licet a multis AUCTO-  
RIBUS ad istam classem referantur , impune  
comedi posse afferunt nonnulli , ut HERNAN-  
DEZ , BELLONIUS , &c.

(a) Narcoticis hujuscemodi validioribus ac-  
censenda supersunt adhuc aliquot , Venena ,  
quæ tum Narcosin , tum horrendas Convulsio-  
nes excitant ; ut *Cicuta Major* , *Minor* *Petro-*  
*selino similis* , & *Aquatica* GESNERI , ( de  
quibus consulatur omnino WEPFER ) alia-  
que id genus . Vim quoque maximam narcoti-  
cam . imo & deleteriam , habet *Croci* gravif-  
simus diuque perceptus Odor ; utpote qui Ce-  
rebro adeo intestus fit , ut ipsam mortem ar-  
cessere valeat : cuius quidem rei memorabile  
tradit exemplum PETRUS BORELLUS , Ob-  
servat . Centur . IV . Observ . XXXV . pag . m .  
303 . Denique Somnifera Numeri secundi ad  
hunc tertium etiam pertinent , si nimia dos-  
sumantur , ut *Opium* , &c.

QUIN-